



The Holy See

*ALLOCUTIO SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PP. XII AD NOVOS EPISCOPOS MISSIONARIOS**

Die XXX mensis Octobris, anno Domini MCMXXXIX

Dilecti Fili Noster ac Venerabiles Fratres,

Postquam hesterno die in Basilicae Vaticanae maiestate sollemni vos ritu ad episcopalem eveximus dignitatem, magnopere exoptabamus vos heic in Communis Patris domo conspicere coram, ut propensam, qua vos prosequimur, voluntatem aperiremus, utque animum vobis paterna voce adderemus ad labores eos fortiter subeundos, quos commissum vobis munus postulat. Grates igitur cum vobis, Venerabiles Fratres, persolvimus maximas quod Nos, filiorum caritate ducti, convenistis; tum praecipue Dilecto Filio Nostro Cardinali Petro Fumasoni Biondi, disertissimo interpreti vestro, qui vos quasi thesauri sui — Sacrum Consilium Propagandae Fidei dicimus — pretiosores gemmas navitatisque suae praemia praeclariora Nobis ostendit.

Gratam praeterea mentem Nostram vobis profitemur quod Nos adeuntes magno animum Nostrum affecistis solacio; vobis enim praesentibus, tristitiae nubes, quibus caelum nostris hisce diebus nigrescit, Nobis scindi videntur, indeque haud paullum impluere laetitiae.

Praestantissimum quidem vobis, Venerabiles Fratres, committitur munus. Ad eas ergo contendite regiones quas, Deo auctore, vobis destinavimus; ibique conamini ut universos ad Christi advocetis amplexum, qui omnia ad se tracturum pollicitus est (cfr. *Io.*, XII, 32). Christi vos urgente caritate, cum ad concreditos vobis greges perveneritis, ea opera atque incepta virili animo vel suscipiatis vel provehatis, quae muneris usus ac pastoralis sollicitudo suadebunt; at constantes in hoc intendite curas, ut in ministerii vestri partem sacerdotes e populis educatis, quos christiana fide imbuistis. Indigenae enim sacerdotes, qui, rite instituti ac conformati, omnibus scientiae virtutisque ornamentis polleant, non modo magnae utilitatis vobis opem afferent, sed inceptos etiam a vobis labores persequentur, ita ut et de excultis evangelica doctrina a vobis gentibus idipsum dici possit, quod Leo XIII, Decessor Noster i. r., de Indiarum populis in fronte Seminarii pro indigenis clericis

Kandii recens excitati insculpi iussit: « Filii tui, India, administri tibi salutis ».

Ad demandatos itaque vobis greges, Venerabiles Fratres, pergite. Prosequuntur vos admotis ad Deum precibus ac votis christifideles omnes; itemque erecto animo in spem uberum fructuum S. Consilii Propagandae Fidei Moderatores; at Nos in primis, implorata a Summo Pastorum Principe caelestium munerum largitate, paterna voluntate prosequimur, dum vobis vestratibusque omnibus effuso animo in Domino benedicimus.

Optamus tandem sollemnium horum dierum mnemosynon aliquod simulque peculiaris benevolentiae Nostrae pignus singillatim vobis amantissime tradere.

**Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, I,*
Primo anno di Pontificato, 2 marzo 1939 - 1° marzo 1940, pp. 363-364
Tipografia Poliglotta Vaticana